

gant, pallient, excusent, etc. Hoc sensu de impio dixit David, Ps. VII. *Ecce parturit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* Plus enim multoties tolerant impii, ut mercentur infernum, quam pii ut lucrentur cœlum.

Quarto, molestia et violentia, quæ infertur creaturis etiam inanimatis; cum ad injuriam creatoris sui servire peccatoribus coguntur, ad perpetranda imprimis scelera. Hoc enim est, quod apostolus ad Rom. VIII. ait: *Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc, q. d. anxie et cum dolore finem iniquæ servitutis expectat, cupiens liberari a tyrannide peccatoris (liberabitur autem in die judicii) et tendere potius ad finem suum et obsequium creatoris sui; ac si vocem et sensum haberet, ingemisceret sub hac pressura velut parturientes.*

Quinto, dolores hostium Christi, quibus insperato et subito obruentur partim hic, partim in inferno, postquam prius voluptatibus operam dederunt. De his enim dicitur, Psal. XLV. *Ibi dolores ut parturientis, q. d. subiti et ingentes, nulla ratione evitabiles aut alleviabiles.*

VII. Quodnam illud perenne apostolorum gaudium, quod nemo ab eis tollet? Respondetur esse partim gaudium, quod habuerunt in hoc sæculo de Christi resurrectione, partim quod habent altero in sæculo de perpetua Dei et Christi præsentia et intuitu. Utrumque inamissibile erat in apostolis; primum, quia fun-

dabatur in Christo ejusque gratia, in qua confirmati sunt misso ad eos Spiritu sancto. Ut ergo nemo eos Christo ejusque fide et gratia spoliare potuit, ita neque gaudio inde promanante. Alterum, quia de beatitudinis essentia est, ut sit perennis et inamissibilis; alioquin nulla ratione satiaret appetitum beati, nec foret status omnium bonorum aggregatione perfectus, quæ est beatitudinis definitio. Quare licet beati cernant in inferno propinquos suos, liberos, parentes, amicos, nihil tamen inde contristabuntur, quia in Dei justitia, quam cognoscent, plenissime acquiescent, nec poterunt amare, quos despexit Deus, proinde nec tristari de illorum ruina. Licet etiam animæ beatorum naturalem inclinationem habeant ad resumenda corpora sua, velut ad compartes suas: illa tamen inclinatio ante præstitutum communis resurrectionis diem nullum iis pariet mœrorem, quia ad accidentalem tantum beatitudinem spectat: et quemadmodum flores aliæque plantæ ante vernum tempus non germinant aut revirescunt, ita animæ beatorum ante illud ver, de quo Dominus, Matt. XXIV. ait: *Ab arbore fici discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit et folia nata, scitis quia prope est æstas, minime desiderant induere decorem corporum gloriosorum. Quare, auditores, vera gaudia quæramus, quæ nulla perturbari tristitia, nullo perdi tempore possunt, cœlestia nimirum.*

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUANDO PARENTES GAUDERE POSSINT DE FILIIS.

I. Gaudere possunt, cum vident educari filios sub disciplina. — II. Cum vident eos redolere bonos mores. — III. Cum vident ob virtutem esse evectos. — IV. Cum sciunt eos habere bonos. — V. Cum vident eos recipere ad meliorem frugem.

THEMA.

Jam non menimit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Joan. XVI.

Facile quidem do parentibus, quod gaudere possint cum nascitur eis filius. Sed quam solidum tamen sit hoc gaudium, non satis adhuc perspicio. Videmus enim hodie nasci filium, cras aut perendie iterum mori; et jam conceidit gaudium, atque in mœrorem transiit. Videmus sæpe filios male educatos vel moribus perversos; et quod ibi gaudium? Videmus nunquam incidere eos in publicas ignominias;

et quæ ibi non confusio? Videmus sæpe manere stultos et rudes; et quæ tunc lætandi causa? Videmus in gravia scelera labi, et in iis mori; quanta ibi lugendi materia? Quot lacrymas excussere Davidi Amnon et Absalon? Salomon quid de filio suo Roboamo loquitur Ecclesiasticis II. *Detestatus sum omnem industriam meam habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit.* Augustus imp. felicem se futurum dixit, si liberis caruisset; adeo enim perversos habuit, ut ipsum puderet. Denique, de Juda scimus Christum dixisse: *Bonum erat ei si natus non fuisset.* Audimus quandoque parentes dicere filiis: *Utinam in primo lavacro te submersissem.* Modicum igitur vere est et fragile hoc gaudium. Quando igitur erit solidum ac magnum? Audiamus.

I. Quando vident filios non blande, sed severe potius educari sub disciplina. Abraham in die ablactationis filii (anno circiter quinto ætatis ejus) fecit grande convivium, in signum

lætitiæ juxta morem antiquum, quod dum infans vitalis futurus speraretur, ac jam per se vivere inciperet; secundum Cajetanum ibi Gen. XXI. quia nimirum ingens est gaudium parentibus, cum filii jam non lacte blanditiarum educantur, sed solido sapientiæ cibo assuescunt, ut aiunt Sanctus Augustinus et Rupertus. Dionysius junior Siciliæ tyrannus expulso in exilium dione, ut ei summe noceret, filius ejus educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur moribus. Nam puero scorta adducebantur, vino epulisque obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur. Reversus in patriam, pater et appositis etiam custodibus filium ad frugem reducere conatur, sed maximo suo dolore intellexit frustra id fieri: filius enim indignatus assuetas voluptates sibi subtrahi, ex summa ædium parte se præcipitavit, vitamque cum deliciis abruptit, Probus in Dione. Sic Andronicus junior Michaelis f. ab avo Andronico indulgentissime educatus adolescens cepit insollescere, et tandem ope Venetorum avum exturbare imperio, apud Gregoram, lib. VIII. Bene igitur Ecclesiasticus, c. XXX. ait: *Lacta filium et paventem te faciet, lude cum eo et contristabit te, q. d. filius ablactatus et grandescens non est amplius tractandus, atque cum esset sub lacte, fiet enim pervicax: quales sunt infantes, qui cum quid eis denegatur, indignantur, plorant, clamant, omnia abjiciunt, ut vix sedari queant, quietiam parentes percipiunt; quia putant sibi omnia ad placitum indulgenda. Infantes quidem velut doli malique incapaces blande educandi sunt, sed non item pueri, jam disciplinæ scilicet capaces: hi gravem et seriam poscunt educationem et lasciviæ puerilis castigationem. Sunt enim adhuc velut animal cula bruta, quæ timore et virga coerceri debent; uti Job, c. XX. *Egrediuntur greges quasi parvuli eorum; et infantes eorum exultant lusibus.* Addit Ecclesiasticus, loco cit. *Non corrideas illi, ne doleas (alii ne condoleas) et in novissimo obstupescant dentes tui.* Obstupescunt; quia non erit quod respondeas eis, si te accusent aliquando, quod per te perierint: obstupescunt, quia miraberis, quomodo tot blanditiis merueris tantam filii ingratitude.*

II. Quando vident eos bonos mores et virtutes redolere. Isaac, ubi sensit vestimentorum Jacob, filii sui, fragantiam, ita recreatus atque exhilaratus fuit, ut cum gaudio in ejus benedictionem prorumperet, dicens: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, Gen. XXVII. Quis fuit iste odor? Non tam vestimentorum materialium (tametsi et luc fuisse concedo) quam moralium seu virtutum, quas exponit S. Ambrosius, lib. II. de Jacob et vita*

beata, cap. I. « Nam licet, inquit, dulcis et suavis sit odor agri, quia est odor naturæ. tamen in sanct. patriarcha virtutum spirabat gratia. Quam continens erat parcimonia, qui cibum sibi paratum non expetivit, sed petenti fratri sine dilatione concessit, a quo primatum benedictionibus accepit! Quam pius erga parentes, ut præferri germano seniori, materno affectu mereretur, et paternæ benedictionibus munere sacraretur! Quam religiosus ut fratrem recusaret lædere! Quam verecundus ut patrem timeret fallere! Quam reverens parentum et honorificus, ut matri quod jubeat, non posset negare!» Sic Ambros. Hæ itaque sunt vestes filiorum quæ recreare debent parentes, non materiales illæ quæ corpus ornant, sed animum plerumque perdunt, quia extollunt et insolescere faciunt, cum e contra vestis virtutum et viventes ornet, et mortuos comitetur ad cœlum.

III. Quando vident vel audiunt eos propter sua bene merita ac virtutes ad honores et dignitates esse evectos. Sic gavisus Jacob quando audiit filium suum Joseph in Ægypto principem factum ob suam sapientiam, Genes. XLV. *Sufficit mihi, si adhuc vivit filius meus: et cap. seq. Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Redundat enim hæc dignitas et honor in laudem etiam parentum, sicut in laudem arboris generositas fructus. De Diagora Rhodio scribit Gellius, lib. II. cap. XV. quod cum tres ejus filii, luctator unus, alter pugil, tertius pancratiates, eadem Olympiade omnes vincerent et coronis insignirentur, filiique patris capiti coronas imponerent et suavissime eum amplexarentur, gaudia commotus pater in manibus filiorum animam efflarit. Memorabile etiam illud Helvetii Winkelriedi, qui audiens, quod ejus filius robustissimus sumpto fascæ hastarum perrumpens aciem Leopoldi Austrii, hostem turbasset, et viam Helvetiis ad victoriam aperuisset, licet occisus, cum ei mors filii nuntiaretur a partim gratulantibus, partim condolentibus: *Quid est, ait, quod fleatis? Est potius cur mihi gratulemini: quod filius meus morte sua patriæ libertatem defenderit, ann. Christi 1147. chron. Helvet.* Quando igitur parentes gaudere ob filiorum bonum volunt, ad virtutes et præclara facta eos edenda stimulent atque informant: sic filiorum coronæ ipsorum etiam capita ornabunt. Hinc Sap. Prov. X. ait: *Filius sapiens lætificat patrem: filius vero stultus mœstitia est matris suæ: et rursus, c. XV. Filius sapiens lætificat patrem, et stultus homo despiciit (id est, despici facit) matrem suam.* Sapiens filius eo loco, est filius honesti utique tenax: stultus est, qui corruptis moribus. Rursum Prov. XXIII. *Exultat gaudio pater justus: qui*

sapientiam genuit lætabitur in eo. Inde mox conversus ad filium monet, ut hoc gaudium sua probitate parentibus pariat: *Gaudeat pater tuus et mater tua*; suam enim reputant tuam laudem et honorem; quia ipsius institutioni et virtuti quasi hæreditati tibi traditæ adscribent homines tuas virtutes: uti e contra ignominiam et improbitatem tuam. Memorabile est quod scribi Paul. Jovius et Sabell. in supplem. tr. XXIV. de insigni Suevo Reissachio, cujus filius in obsidione Budæ impiger adolescens, cum ignaro patre in aciem prodississet, et strenuissime cum Turcis pugnasset, plurimosquæ occidisset, donec a circumfusis Turcis victus cæsusque esset, pater ejus certamen spectans ac fortitudinem mirans: *Omni laude juvenis hic*, inquit, *adeoque honesta sepultura dignus est, quia tam strenue certavit*; cumque ejus cadaver afferretur, et detegeretur, agnovit filium suum: itaque regentibus oculis nihil effatus, mortuus præ gaudio, ut fas est opinari, concidit. Quod si ob bellicam virtutem filiorum sic lætentur parentes, quanto magis gaudere debent, cum vident eos pro Deo et cælo strenue demicare? Et quale eorum gaudium erit, cum videbunt eorum virtutes et coronas in cælo? Quando audient: *Filius tuus vivit et dominatur in regno cælorum*?

IV. Quando norunt eos habere bonos institutores et magistros. Hoc cogitans Tobias consolatus est se, ac conjugem de filio demisso in Mediam. Cum enim illa fleret ob filii discesum, ille confusus de bono ductore ei dâto: *Credo inquit, quod angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnia, quæ circa eum gerentur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos*, Tob. V. uti etiam factum. Jure merito gaudent parentes de bono magistro filiorum. Multo enim præstantius est bene institui, quam feliciter nasci. Magni refert cujus havarchi fidei et peritiæ committatur, qui ad Indos navigaturus est: neque satis est navim esse validam, armis et comiteatui instructam, sed navarchum oportet etiam esse gnarum regionum et periculorum. Par ratio de magistris. Hinc Philippus Mædoniæ rex, in ep. ad Aristotelem gratulatur sibi, filium Alexandrum natum eo tempore, quò Aristotelem talem ac tantum posset habere præceptorem, a quò filius tam in scientiis quam in virtutibus præclare posset erudiri apud Gellium, lib. IX. Hinc principes viri optimæ vitæ ac litteraturæ viros fere religiosos filijs suis provident: et olim nobiles sæpe ad monasteria filios erudiendos miserunt. Boni enim magistri et pædagogi, angeli Raphaëlis beneficia exhibent suis discipulis. Docent eos primo, fortiter apprehendere piscem grandem, disciplinam, qui non devorabit te, sed salvabit; quia cor habet ad pellendos dæ-

mones; ac licet habeat fel, id tamen aperit oculus. Secundo, uxorem eis quærunt, sapientia prænobilem. Tertio, pecuniam recuperant, opes enim et dignitas conferunt. Quarto, ducunt ac dirigunt ad viam salutis. Quinto, faciunt ut ipsi suo felle disciplinæ filios ac sæpe parentes illuminent, quò modo Tobias lumen oculorum restituit parenti suo. Quanto gaudium exceperit reducem talem filium cum suo ductore Tobias et conjux! Quantum se ductori obstrictos fatabantur! Et quid erit, quando parentes filios suos conspicient in cælo cum ingenti gloria apparati.

V. Quando vident eos respicere post ipsam et Dei cultui se addicere. Ita gavisus est pater filii prodigi, quando eum postliminio ad se reversum exceperit: ita S. Monica quæ tot lacrymis quæsivit et secuta est aberrantem filium, quem ubi reperit cum fenore etiam ecclesiasticum factum, jam mori desideravit, quando ideo solum vivere eousque desiderasset, donec filium in saluum constitutum videret. Incredibili gaudio perfusus fuit Jacob, quando dilectum suum filium Joseph, quem a feris laniatum credidit, non solum vivere, sed etiam principem in Egypto constitutum audit, adeo ut eo conspecto dixerit: *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam*, Gen. XLVI. Mortem igitur alias amarissimam filii restituti aspectus convertit patri in lætitiã: quanto magis exhilaret parentes perditorum filiorum ad meliorem frugem reditus? Adoravit moriens Jacob sceptrum filii Joseph, Deo nimirum in illò gratias agens pro tali filio; sed longe feliciores illi parentes, qui filios relinquunt virtutum splendore divites, in Dei servitio regnantes. Potuit hoc gaudium ex filio charissimo sacrum ordinem ingresso tantum in parentis pectore, ut et ipse se resolverit, vitam ab eo tempore inculpam instituire et Deo militare. Hujusmodi enim exemplum refert P. Fernandus, in c. XXI. Gen. c. Dicam quid novi hodie, inquit, vir quidam nobilis hac eadem hebdomada cum ingenti procerum comitatu adolescentulum egregiæ formæ atque indolis reduxit ad cænobium. Ibi filius cum admirabili alacritate mundum valere jubens religioni sese mancipavit. Ergo pater cum lacrymis: *Altitus, inquit, jam nunc ero: novam institutam vitam, utique tuis filii pater.*

CONCIO II.

QUANDO PARENTES NON GAUDEANT DE LIBERIS SUIJS,
SED CONTRISTENTUR.

I. Quando proles illegitimæ nascuntur. — II. Quando matres in partu pereunt, aut lætus. — III. Quando

liberi parentes graviter offendunt. — IV. Quando sunt stupidi nihilque addiscunt. — V. Quando moriantur filii ante parentes.

THEMA.

Jam non meminit pressuræ propter gaudium quia natus est homo in mundum. Joan. XVI.

Grammaticorum celebre dictum ac proverbium est: *Nulla regula sine exceptione.* Proponit in hód. evangelio Christus Dominus regulam: *Cum peperit mater puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Quæ quidem plerumque vera est, habet tamen suas et ipsa exceptiones. Quoties enim odimus parentes lamentari propter filios! Et cur. Jeremias, cap. XX. de patre suo ait: *Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo dicens: Natus est tibi puer masculus, et quasi gaudio lætificavit eum; quod videlicet haberet filium, qui vastationem gentis suæ, et extremas calamitates visurus esset?* Et cur dixit Christus ad Calvariæ montem pergens devotis mulieribus: *Beatae steriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt?* Luc. XXIII. Non est ergo regula hæc ita universalis, ut non habeat etiam suas exceptiones. Eas vero nunc audiamus.

I. Excipe ergo quando proles illegitimæ eis nascuntur, tunc enim confunduntur ac tristantur, tantum abest ut gaudeant: quia proles nata parentum crimen accusat, et penas ab eis exigit. Dicat hoc Bethsabæe illa, quæ ex adulterio cum Davide commisso, videns se concepisse, nuntiat regi: *Concepi*, II. Reg. XI. non sane ut rem lætam exponat, sed ut vitæ suæ et honori regis consulat. Ipsa enim sibi timebat lapidationem, adulteræ a lege decretam: David vero rex, etsi penam non timebat ab homine sibi inferendam, infamiam tamen et populi aversionem jure metuebat. Ambo hoc nuntio velut quodam tonitru graviter percussi, et quasi fulminati fuere. Bethsabæe dicit regi: *« O rex perii, inquit Sanctus Chrysostomus, homil. I. in Psal. L. et ille: Quid habes? Prægnans, inquit, sum. Peccati mei pullulat fructus, accusatorem intrinsicus habeo, et in ventre profero proditorum. Si venerit et viderit vir meus, quid dicam? Quid loquar? Quam excusationem præterdam? Inveniet me gravidam, et occidet me accusatore clamante. Videte et admiramini fratres, quantum malum sit delictis et peccatis obnoxium fieri? Rex militem timet et formidat subditum. Imperator coronam capite gestabat, et confusionis opprobria metuebat, etc. » Simili nuntio percussus fuit Genebaldus vir generis dignitate conspicuus, qui eum post votum castitatis lapsus, prolem acce-*

pisset, appellavit eam *latronem*: In vit. Sancti Remigii, 1. oct. indicans suam illam prolem latronem sibi fuisse, a qua spoliatus et enectus esset; cujus piaculi gratia septem annis inclusus egit pœnitentiam et amarissime flevit. Et quia ob illicitum concubitum et alia peccata gravia sæpe pascuntur proles miserae, hinc novus mæror parentibus accedit. Sensit hoc Robertus Francorum rex, quando ei in pœnam illegitimi connubii, quòd cum affine et comatre contraxerat, nata est proles collo et capite anserino. Inde enim in tantum fuit perterritus, ut repudiata uxore vitam serio emendaverit et deinceps sancte vixit, teste B. Damiano, in epist. ad Desiderium, card. Baron. anno 998. Sensit ille nobilis, cui, quòd venationis gratia dies festos profanare consuevisset, nata est proles canino capite et auribus, teste Cantiprat. l. II. apud, cap. XLIX.

II. Quando matres in partu pereunt. Exemplo est Rachel, quæ in secundo partu perit, unde filium *Benoni*, hoc est *filium doloris sui* appellavit, Gen. XXXV. Item nurus Heli, 1. Reg. IV. quæ moriens in partu appellavit filium suum *Ichabod*, hoc est *non gloria*, quasi dicat: *Nihil hic gloriæ aut lætitiæ.* Et quid opus exemplis, cum id crebro contingat? Debent igitur puerperæ contra hoc periculum munire se s. eucharistia. Echinus marinus, ut scribit S. Ambrosius, l. V. hexam. cap. IX. præsentens tempestatem calculum validum arripit, eoque se velut anchora firmat et contra fluctus prægravat, uti apes contra ventum lapillis. Atqui gravis satis tempestas imminet parientibus: calculo ergo se muniant s. eucharistiæ, quæ Apoc. II. *calculus* appellatur *candidus*, secundum Hug. card. Dicit hoc Moyses, qui cum uxor ejus pareret ei filium secundum, appellavit eum *Eliezer*, hoc est, *Deus meus adjutor*, Exod. II. ut intelligant parentes Deum adjutorem sibi invocandum, cum dantur eis liberi, ut feliciter lucem aspiciant, et in ea diu ac bene vivant. Expertus fuit ipse vix natus Deum adjutorem suum, quando a nativitate mox necandus per mandatum Pharaonis, in flumen depositus, et mira Dei providentia servatus est.

Hinc olim prægnantes matres benedictionem a presbyteris petebant, ut prolem feliciter eniti possent, ut alibi retulimus.

III. Quando liberi parentes graviter offendunt: dissipant quæ ipsi congregarunt tot sudoribus: ducunt uxores vel maritos contra eorum voluntatem: degunt vitam ignobilem: immergunt se in vitiorum sordes. Tantum est hoc parentibus tormentum, ut sæpe vitam eripiat; et si mortem non afferat, infantiam tamen aspergit, ut mori præoptent potius quam vide-

re filios tales. Quemadmodum enim arbor decacuminata toti arbori ariditatem, ipsique etiam radici necem affert, ita filius unus flagitiis infamis toti familiæ ac parentibus mortem saltem civilem et ignominiam conciliat. De Ezechia rege ait S. Ambrosius in hunc modum: «Cum ægrotasset Ezechias in tempore quodam, et venisset ad eum Isaias propheta visitandum, evocavit Ezechias filium suum Manassen, et cœpit ei mandare, quod debeat Deum timere, regere regnum et alia multa. Et dixit ad eum Isaias: Vere quia non descendunt verba tua in cor ejus, sed et meipsum oportet per manum ejus interfici. Quod audiens Ezechias volebat filium suum interficere dicens: Quia melius est me sine filio mori, quam talem filium relinquere, qui et Deum exasperat, et sanctos ejus persequatur. Tenuit autem eum vix Isaias propheta, etc.» Sic ille.

Quantum etiam affligantur parentes, cum contra eorum voluntatem filii nuptias contrahunt, patet ex parentibus reprobi illius Esau, qui valde offensi fuerunt, quod duxisset filias Heth gentiles, Gen. XXVI. in specie vero Rebecca dixit ad Isaac: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth; si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere*, Gen. XXVII. Cum enim parentes alioquin desiderent vivere in filiis suis, noluit Rebecca vivere in tam degeneri prole: quasi mors vita melior sit, vita morte longe acerbior.

Denique, si a bonis parentum moribus degenerent, monstra sunt, Platone teste. Quis autem parentum amet monstrum a se genitum? Rex Tartarorum Cassanus, anno 1298. monstruosum partum ab uxore sua editum nullo modo agnoscere voluit, sed una cum conjugē, velut adultera igni adjudicavit; et sane concremasset, nisi ipsa per baptismum filio et proli succurrisset, teste Joan. Villaneo, lib. VIII. cap. XXXV. Quomodo igitur non dolebunt parentes, si videant suos liberos a se esse degeneres adeoque monstruosos? Sensit certe ac doluit David, cum vidit depravatos filios suos, Ammonem et Absalonem sibi prorsus dissimiles. Sensit Augustus Cæsar, qui cæterum felicissimus, sola prole infelix fuit, ita ut illud Homericum ad omnem illius mentionem exclamaret: *O utinam cælebs mansissem orbisque periissem?* Certe ob perversos filia et nepotum mores prodire etiam in publicum erubuit, Suet. auctore. Multum quoque mœroris peperit matri suæ Augustinus, multas lacrymas excussit, dum adhuc a vera fide et salutis via aberraret.

IV. Quando sunt stupidi nihilque prorsus addiscunt, unde reip. prodesse possint. Testatur hoc Salomon, Prov. XIX. *Dolor patris filius*

*stultus, inquit: Septuaginta transferunt: Con-tusio patri suo filius imprudens: Chald. Filius stultus gravis est patri suo, sicut acida, hoc est, sicut labrusca. Labrusca nullis solibus maturascit aut dulcescit. Quando ergo tales sunt liberi, adeo hebetes et stolidi, ut nullam acceptare disciplinam velint, et nihil prudentiæ ab iis expectari queat, quomodo hæc labruscæ non faciunt obstupescere dentes parentum? Queritur Deus, Isa. V. de vinea quam sibi plantarat magno studio ac sumptibus, inde tamen non uvæ dulces, sed labruscas tantum collegit. Cur non doleant etiam parentes, quando vident filios suos, quos tot sumptibus et curis educari curarunt, evasisse non uvas sed labruscas? Cœpit jam hoc idem Salomon præsentire in stulto filio suo Roboam; unde in Ecclesiaste, cap. II. id lamentatur: *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem nescio utrum stultus an sapiens futurus sit.* Nondum certus erat Salomon de stultitia filii sui: nondum vidit eum sua imprudentia dilacerasse regnum, et decem tribus a se abalienasse: nondum vidit eum thesauros suos tanto sudore congregatos perdidisse. Quid dixisset, si hæc scivisset? Est mirandum prorsus quod ex tanta feminarum colluvie non nisi unicum filium, eumque stultum et imminutum a prudentia, ut dicitur Ecclesiastici XLVII. de semine suo reliquerit; cum dubitare non liceat, fuisse ei datum a parente præclarum institutorem, omniaque subsidia ad comparandas disciplinas. Sed nimirum videtur a matre Ammanitide seu Ammonitide traxisse mores perversos, qui mox ab ipso, aut certe sub ipso in ejus subditos derivati sunt, ut est idolorum cultus, et fœda impudicitia, ut habetur, III. Reg. XIV.*

V. Quando vident filios mori ante se, præsertim morte infelici aut probrosa. Cupiunt enim parentes superstites vivere in filiis suis: gravius ergo ipsorum mortem ferunt, quam propriam. Nota est historia patris, inquit p. Cornel. in Ecclesiastici cap. XXX. qui cum filio ob crimen adjudicatus erat morti: dumque princeps sententiam molliret, unumque tantum plecti juberet, ac daret eis optionem eligendi vel jaciendi sortem, uter plectendus esset, mira inter utrumque fuit contentio, dum filius pro patre, pater pro filio mori percuperet: sed vicit tandem pater, dictitans se, licet plecteretur, in filio tamen fore superstitem: at si filius plecteretur, nullam sui, utpote senis brevique moriuri, nec filii fore propaginem et memoriam. Motus princeps pietate amborum, vitam utriusque condonavit. Similis statua filii patrem de-collantis cernitur Gandavi in ponte, quod pater

a filio, cum alioquin ambo rei, ambo plectendi essent, vita alterutri donata, vix multis precibus impetravit, Beierl. in theat. v. *Filius*. Simile est quod refert Tiraquellus, præfat. in l. *Si unquam* in octavo, et patre et filio accusatis homicidii. Sed cum non constaret, uter reus esset, jussit Carolus II. imp. filium suspendi: quod intelligens pater a filium a morte vindicaret, ac pœnam in se converteret, sponte crimen confessus est, ideoque suspensus est liberato filio. Senserunt hoc Ægyptii, qui tot tantisque plagis antea percussi parum indoluerunt; at ubi eorum primogeniti omnes enecti fuere, flebant veniamque petebant, quod ita afflixissent Hebræos, ut scribit Josephus, lib. II. antiq. c. V. *Toties enim quis mortitur, quoties quis amittit suos*, ut dixit quidam. Sensit vidua illa, cujus unicus filius efferebatur in Naim, Luc. VII. Quid doloris sustinuisse putamus Sedeciam regem Hebræorum, quando captus a rege Babylonis vidit coram se occidi filios suos, ipse post exoculandus? IV. Reg. XXV. Quid Mauritium imp. cum in conspectu suo plecti vidit a Phœa quinque filios suos? Bochnæ, anno Christi 1878. mulier quædam infantem dum lavat, audit extra domum, alterius sui filioli fletu, accurrit propere, jacentem puerum offendit: is in cultro, quem manu gerebat, inciderat, seque ipse misellus transfixerat. Mater dolore amens recurrit ad infantem in alveolo relictum, hunc quoque submersum reperit. Superveniens maritus impotens sui uxorem corripit, verberibusque enecat. Trium miserorum obitu conspecto, scelerum conscientia et charissimorum pignorum commiseratione furens infelix pater, laqueum collo induit. Refert Andr. Duditiis, tract. de cometis.

Multo adhuc magis dolent aut certe dolere debent, si videant mori in peccatis, nulla præmissa cum Deo reconciliatione. Quod certe acerrime sensit David, quando inconsolabiliter deploravit interitum filii sui Absalon, pro ipso mori desiderans; ut sua temporali morte, æternam ejus redimere posset.

At vero quis et quantus erit parentum illorum dolor, qui damnati ad inferos aspicienti filios suos? Cujus rei exemplum refert Chrys. Henric. in fasciculo sanctorum, ord. Cisterc. lib. 4. dist. XXV. c. II. de quodam converso seu fratre laico in Claravalle: «Qui ad mortem infirmatus, vocato sacerdote, confiteri volens, repente quasi mutus factus, non potuit. Meda nocte oculos aperuit et confiteri voluit. Vocato ergo Henrico abbate ait: Ego peccator immundus, ego omnium flagitiosissimus confiteor Deo et tibi pater, quia cum essem pridem in monasterio meo, nomine Efron, quod situm

est in Dacia, ex quadam fornicaria filium genui, et nec pœnitentiam nec confessionem super hujusmodi scelere hactenus egi: proinde nunc cum obmutuissem, maligni spiritus miserrimam animam meam ad loca infernalium rapuerunt, ibique vidi supplicia quibus mox exutus corpore mancipandus ero ad puniendum. Ibi quoque ad cumulum damnationis meæ filium meum pridem mortuum reperi, iniquitates meas arguentem et exprobrantem mihi hujusmodi verbis: Heu detestande peccator, heu execranda proditor castitatis et religionis? Nunquam pater vel adultus fuisses! Quasi qui non esset, de utero translatus ad tumulum fuisses! Quoniam exigente malitia tua ego in istas perducere merui miserias. His et auditis et visis contrahor atque coarctor nimis, tum propter ejusdem filii mei imputatam pœnalitatem, tum pro mea jamjam imminente damnatione. Verum ab Henrico abb. ad pœnitentiam erectus et absolutus, atque in bonam spem confirmatus, post horam revocato patre dixit, se iterum ad loca penarum reductum fuisse, e beneficio confessionis quidem a gehenna liberandum, purgatorio tamen expiandum.»

Videant ergo imprimis juvenes, qui temere et inconsulto involant in nuptias, ne decipiantur, dum sibi nil nisi rosas et mera gaudia imaginantur; ubi tamen longe plus fellis est, quam mellis; spinarum, quam rosarum. Gladio simile est conjugium, cujus solum capulum, decorum et speciosum est, auro aut argento obductum; totum quod in vagina latet reliquum, acies et acumen, vulnera et mortem intentat. Sic in matrimonio solum initium, solæ nuptiæ jucundæ sunt; quidquid reliquum est, dolore mixtum et curis est: filii in infantia dumtaxat et pueritia gaudium creant parentibus; toto reliquo tempore curas et sæpissime tristitias. Videant et parentes, ut ita filios educent, unde gaudere possint. Videant ut eorum filii evadant homines. Tunc enim gaudet mater, quando ipsi natus est homo in mundum, ut ait Dominus. Non agnovit Diogenes pro hominibus, qui vitam pecudum vivebant; multo minus agnoscit Deus. Videant et filii, ne parentibus suis accumularent dolores, mitigent eos potius, ut cæteras miserias suas facilius ferant. *Gaudeat et pater tuus et mater tua*, inquit Sapiens, Prov. XXIII. *exultet quæ genuit te.*

CONCIO III.

PARTUS MULIERIS MORTI NON ABSIMILIS.

I. In morte dolores maximi. — II. Sunt incerta tempora mortis. — III. Sunt magna pericula. — IV. Ibi dolores inevitabiles.